

ditos enim omni castitate. 5. Si quis autem domui suae praesae nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? 6. Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. 7. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli. 8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 9. habentes mysterium fidei in conscientia pura. 10. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes. 11. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. 12. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint, et suis domibus. 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu. 14. Haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito. 15. Si autem tardaveris, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. 16. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

1. FIDELIS SERMO. — Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, haec verba non ad sequentia de episcopatu, sed ad praecedentia referunt; quia enim dubitare poterant, an verum et certum esset id quod dixit in fine cap. praeced., mulierem scilicet salvandam esse per filiorum generationem, ideo hic addit, inquit, « Fidelis sermo » *q. d.* Id, quod dixi de mulieribus, certum est et indubitatum. Verum longe melius Theodoretus, Ambrosius, Primas et alii *ad fidelis sermo* referunt ad sequentia, *q. d.* Certum est et verissimum quod de episcopatu et ordine hierarchico jam toto cap. dicturus sum. Solum Apostolus cum aliquid magni dicturus est, *ad fidelis sermo* praemittere, ut dixi cap. 1, vers. 13. Hic enim aggreditur Timotheo munia Episcopi et aliorum Ecclesiae ministrorum ad vivum depingere.

SI QUIS EPISCOPATUM DESIDERAT, BONUM OPUS DESIDERAT. — Vult, ait S. Augustinus, lib. XIX De Civit., XIX, docere Apostolus, quid sit episcopatus, nomen scilicet esse operis, non honoris: Episcopus enim est superintendens, qui curam aliorum gerit, subitque onus et laborem docendi et regendi populum; episcopatus enim dicitur *ἐπίσκοπος*, id est eo quod omnes spectetur omnibusque provideat, inquit Theophylactus. Quo sensu dixit Cicero in Epistolis: « Unum me Pompeius esse voluit, quem tota Campania habebat episcopum, ad quem delectus et summa negotii referatur. » Eusebius quoque lib. I, cap. XXXV, De Vita Constantini, eum vocat communem orbis episcopum a Deo constitutum. Sic et Hieronymus explicat, epist. 83 ad Oceanum: « Si quis, inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. » Eadem ratione episcopatum esse grave onus, docet S. Clemens, lib. II Constit. Apost., cap. XXV: Quia, inquit, oportet Episcopum omnium scopum esse, sicut Christus Episcopi scopus est. Ubi addit noster Turrianus,

idcirco ab Apostolo hic vocari *ἐπίσκοπος*, id est opus arduum et difficile.

Hinc infert Augustinus, primo, non esse Episcopum, qui praesae magis eligit, quam prodesse. Secundo, episcopatum, licet in se sit opus bonum, non tamen bene, sed indecenter appeti, nisi scilicet a Deo et Ecclesia ad hoc voceris, ut vocatus est Timotheus per prophetiam, cap. 1, vers. 48. « Otium ergo, ait Augustinus, lib. XIX De Civit., cap. XIX, sanctum querit caritas veritatis, negotium justum suscipit necessitas caritatis; quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendae atque intendendae vacandum esse veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem; sed nec sic omnino veritatis delectatio depressenda, ne subtrahatur illa suavitas et opprimat illa necessitas. »

Secundo, planius et clarius: « Qui episcopatum desiderat, bonum (græce καλόν, id est præclarum et arduum) opus desiderat: » hic enim verissimum est illud adagium, *δύσκολα τὰ καλά*, difficilia, quæ pulchra, sive præclara. Vult enim Timotheum et omnes episcopos docere Apostolus, Episcopi munus excelsum esse et arduum, ut illud serio apprehendant, totique illi intendant, ut tanto oneri faciant satis. Unde explicans hoc opus bonum, sive præclarum, subdit: « Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, » etc. Id maxime verum erat tempore Pauli, cum episcopatus non erat honor, sed labor ingens et proximus ad martyrium gradus. Imo Alvarus Pelagius, lib. De Planctu Ecclesiae, art. 18, ex S. Hieronymo sic explicat: « Qui episcopatum desiderat, bonum opus, id est martyrium, desiderat. Illo, inquit, tempore ab Apostolo dictum est, Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, qui quisque plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta traheretur. Tunc ergo fuit laudabile episcopatum querere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire. » Idem docet S. Gregorius, 1 part. Pastor., VIII; Anselmus et alii. Sicut

ergo Deus tunc multos excitabat ad se offerendum martyrio, ita et nonnollos excitabat ad episcopatum capessendos, qui se Martyribus duces præberent fidei et martyrii. Jam vero qui episcopatum ob amplex proveniens, ob dignitatem, ob gradum et honorem quaerunt, periculosa ambitione et avaritia peccant. Ratio est, quia Episcopus debet esse perfectus, nec tendere, sed esse in statu perfectionis Christianæ: hoc autem de se præsumere, magna est superbia.

Secundo, quia, ut docet Concilium Tridentinum, episcopatus est onus angelicis humeris formidabile; nam non tantum pro sua, sed et pro omnium sibi subditorum animabus ab Episcopo rationem exiget Deus. Quis nisi temerarius hoc munus et onus ambiat? Socrates apud Platonem, dial. I De Republica, miratur eos qui volentes imperium suscipiunt: Quia, inquit, nullus probus magistratus sibi, sed subditis, eorumque commodis intendit et servit: unde censet probos viros ad magistratus capessendos invitos adigendos esse, proposita pœna vel præmio. Hinc et Antigonus, Macedonum rex, cum videret filium insolentius regere suos: « An ignoras, ait, o fili, regnum nostrum esse splendidam servitutem? » Si ita est in magistratu terreno et temporaneo, quid erit in spiritali, caelesti et perpetuo, qualis est episcopatus? Unde S. Gregorius loco citato: « Apostolus, ait, laudans desiderium boni operis (episcopatus) protinus in pavorem vertit quod laudavit, cum subdit: Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, » etc. *q. d.* Laudo quod quaeritis, sed discite quid quaeratis. Et auctor operis imperfecti, hom. 33 in Math., « Opus, ait, desiderare in se bonum est: primum autem honoris concupiscere, vanitas est; primum fugientem se desiderat, desiderantem se fugit et horret. » Hinc Chrysostomus tantopere episcopatum fugit, ut docet ipse in sex libris De Sacerdotio. Sic eundem fugerunt S. Augustinus, Gregorius, Fulgentius et alii.

Exemplum Sanctorum qui fugerunt episcopatum.

S. Augustinus.

Audi S. Augustinum, epist. 148 ad Valerianum: « Vis, ait, mihi facta est merito peccatorum meorum (nam quid aliud æstimem nescio), ut secundum locum gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram. » Et serm. 12 ad Fratres in Evomo: « Usque adeo timebam episcopatum, ut (quoniam ceperam jam aliquid esse momenti inter servos Dei, fama mea) in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem caverem; et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarem, ne in alto periclitarer. Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, et nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perveni, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus et presbyter factus sum, et per hanc modum ad episcopatum perveni. »

Legitur in Vita S. Goaris, ipsum, cum a Sigeberto, Francorum rege, postulatus esset Treviro-

rum Episcopus, inducias postulasse; Interim Deum orasse, ut, nisi esset ex salute sua, episcopatum a se averteret: mox ipse in morbum incidit, et infirmatus ad mortem, episcopatum evasit. Simile de Nilamone monacho refert Nicephorus, lib. XIII, cap. XVII. Sic de Canonico illo S. Victoris Parisiis spectata probitas et doctrina narrat Thomas Cantuaranus, lib. I Exemplorum sui temporis memorabilium, cap. XX, quod, cum in vita postulatus ad episcopatum constanter eundem respisset, post mortem beatus apparuerit cuidam suo amico, qui idipsum a moriente efflagitaret, rogatusque an bene cessisset illi pertinax illa episcopatus recusatio, responderit dicens: « Quod in vita semper timui nunc scio, scilicet quod si episcopatus cathedram ascendissem, in damnationis perpetue periculum incidissem, » id est, si de numero Episcoporum fuissem. Recte ergo sanxit Leo Imperator sub annum Domini 469, lib. XXXI, cap. De Episcop. et Clericis, « non pretio, sed precibus ordinari Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdos, nisi fuerit ordinatus invitatus. » S. Gregorius, lib. VI in lib. I Reg., cap. ultim.: « Rectus, ait, est ordo, ut quaerantur homines ad episcopatum. » Et Bernardus, lib. II De Consid., cap. V: « Qui pro se rogat, inquit, jam iudicatus est. » Et inferius: « Cunctantes et renuentes coage et compelle intrare. » Vide Anselmum et D. Thomam, II II, Quæst. CLXXXV, art. 1.

Nota: Non meminit hic parochorum et Sacerdotum Apostolus, sed eos sub Episcopis intelligit: est enim idem eorum onus et munus, docendi, pasceudi, regendi populum, sed circa pauciores subditos. Vide dicta Philipp. 1, 1 (1).

2. OPORTET ERGO EPISCOPUM IRREPREHENSIBILEM ESSE, UNUS QUONIAM VIRUM, — *q. d.* Itaque ut aggregari præcipium huius epistolæ argumentum, scilicet ut te, o Timothee, alioque episcopos doceam, quales quibusque virtutibus præditi esse debeant, dico imprimis Episcopum debere esse irreprehensibilem, id est, qui non tantum vitio, quod reprehendi possit, careat, sed qui insuper omnibus virtutibus sit ornatissimus. « Omnes, inquit Hieronymus ad Oceanum, virtutes in uno sermone comprehendit, et pene rem contra naturam exigit; quis enim ille est, qui absque peccato et reprehensione vivat? » Hinc Nazianzenus, in Apol. 1: « Vitiosus, inquit, in Episcopo est, non quam optimum esse: » quia, ut recte ait Plutarchus, lib. De Doctrina principum, « Sunt principes tam sacri, quam profani instar lucentium gemmarum, atque adeo si quis in illis nœvus appareat, detractio

(1) Per episcopatum hic intelligendum est sacerdotium in genere, ejus varia officia ac munera: Ita Alloli, quem legere in h. l. opere pretium est.

patet et calumnias. » Et Theophylactus hic : « Præsidentem, inquit, ac principem velut stellam et illuminationem docet esse, ut ad ipsum omnes deficientes oculos illustretur, atque ducantur in viam rectam. » Et Chrysostomus hic, *tom. 10* : « Eum, inquit, qui regendos alios suscepit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis ceteros velut stellam suæ glorie obscuret. » Et inferior : « Oportet, inquit, Episcopum angelum esse, nulli humanæ perturbationi vitiove subjectum. » Et in morali : « Ideo, inquit, nos Dominus elegit, ut simus quasi luminaria, ut veluti fermentum evadamus, ut magister ceterorum efficiamur, ut veluti angeli cum hominibus versemur in terris, tanquam viri curi infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, ut ex nostro conturbentur ingentia illi lura conquirant. » Idem alio loco docet Episcopum in populo debere esse quasi angelum inter homines et quasi pastorem inter oves mutas et irracionales, tantumque ratione et virtute populum debere antecellere, quantum homo bruti antecellit. Hinc patet Episcopum debere esse perfectum. Errant ergo imperfecti, qui sibi persuadent, quod sese perficiant in episcopatu : ibi enim velle discere perfectionem, idem est quod velle discere figulinam in dolio, ait Nazianzenus, *Apologet. 1*, id est velle discere artem cum eam debeas exercere, imo docere; idque cum gravi animarum tibi creditarum periculo et damno.

Aud Bernardum, in fine *lib. IV De Consid. ad Eugenium Pontificem* : « Consideres, inquit, ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore preces, Ecclesiarum matrem esse, non dominam : te vero non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis, porro fratrem diligentem Deum. De cetero considera oportere te esse formam justitie, sanctimonie speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranympum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, honorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, rationum dispensatorem, sal terre, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Dominum, postremo Deum Pharaonis. »

Nota : Apostolus sexdecim condiciones exigit hic ab Episcopo, decem affirmativas, sex negativas. Prima est affirmativa, ut sit irreprehensibilis; secunda est negativa, ut sit unius uxoris vir, etc. UNUS UXORIS VIRUM. — *Primo*, Ambrosius, *lib. De Dignitat. sacerdot.*, cap. IV, sic explicat, q. d. Oportet Episcopum unius Ecclesie, non plurium esse Episcopum, nec ab una Ecclesia ad aliam transire; hoc enim velat hic Paulus, et Concilium

Niceenum I, *can. 16*. Verum hoc mysticum est, non litterale, ut fatetur ipse Ambrosius.

Secundo, Lutherus sic explicat : Episcopus non sit scortator, sed unam habeat uxorem. Sic fere et Beza. Episcopus, inquit, non sit talis, qui temere repudiata uxore aliam ducat. Hic enim vera est scortator, imo adulter.

Tertio, Magdeburgenses, Calvinus et passim Novantes sic explicant, q. d. Episcopus simul non habeat multas uxores, uti Judæi permissu Dei habuerunt; sed unam tantum, ita tamen ut illa mortua, aliam et aliam ducere possit, itaque successive habere multas.

Huc referri potest aliquorum olim explicatio, cujus meminit hic Chrysostomus, debere scilicet eligi Episcopum, non qui jam sit (in quo plane a Calvino et Novantibus dissident), sed qui ante episcopatum fuerit monogamus, id est unam tantum simul habuerit uxorem, licet plures habuerit successive. Nam in ipso episcopatu non monogamus, sed agamus et celebs sit oportet.

Verum omnes alii, præter Theodoretum, hæc expositiones refellunt validis rationibus, voluntque per « unius uxoris virum, » intelligi monogamiam absolute, uti secundas non iniiit nuptias, nec successive plures habuit uxores, sed unam tantum. Patet id *primo*, quia non tantum lege Christi, sed etiam usu ætatis et lege Romana polygamia tempore Christi, imo ante Christum fuit abrogata, non tantum apud Christianos, sed etiam apud Judæos et gentes omnes, erantque polygami infames, ut patet ex edicto Diocletiani et Maximiani, quod extat L. *Neminem, C. De incestis nuptiis*, et ex edicto Valeriani et Galieni, L. *Eum, C. ad leg. Julian De adulteris*. « Eum, inquit Imperatores, qui simul duas habuerit uxores, sine dubitatione comitatur infamia, » scilicet ex recepto jam pridem gentium usu et consuetudine. Supervacue ergo et frustra monetur hic a Paulo Episcopus, ne sit polygamus, cum hoc est, ne plures simul habeat uxores, cum nbo laico id liceret, nec polygamia esset in usu. Sicut ridicule jam v. g. Pontifex scriberet ad Episcopos : Episcopus non debet esse polygamus, cum polygamia nec apud laicos quidem sit in usu, aut permissa. Imo hoc ipso, quo Apostolus hanc ab Episcopo perfectionem exigit, ut sit unius uxoris vir, facile permittit laico, ut sit duarum uxorum vir : hoc autem simul esse non potest (quia obstat lex Christi, imo et Romana, ut dixi), sed tantum successive; ergo cum ab Episcopo Paulus exigit, ut sit unius uxoris vir, non simul, sed unam habere, vel habuisse uxorem, ut post vel ante illam, nullam aliam successive habuerit.

Secundo, quia cap. v, vers. 9, simili phrasi dicit Apostolus : « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. » At qui ibi intelligit unius viri uxorem illam, quæ

post mortem mariti secundas non iniiit nuptias, nec secundum habuit maritum; nunquam enim vult unam uxorem duos simul habere maritos, ut ad hoc cavendum dixerit Apostolus, eligendam esse unius viri uxorem : ergo pariter hic unius uxoris virum intelligit eum, qui successive tantum habuit unam, ita ut mortua prima uxore, non duxerit secundam.

Tertio, quia hinc usus antiquissimus Ecclesie habet, ut non ordinentur digami, qui duas uxores successive, sed monogami, qui unam tantum habuerunt. Estque hæc communis Patrum, præter Theodoretum, expositio. Vide eos apud Bellarminum, *lib. I De Cleric.*, cap. xxiii et xxiv.

Dices : Apostolus vult Episcopum esse irreprehensibilem, et explicans subdit : « Unius uxoris virum, » ergo per hoc cavere vult ne simul duas habeat uxores; hoc enim crimen est et reprehensibile : habere vero duas successive, nec crimen est, nec reprehensibile.

Respondeo *primo*, posse hæc accipi ut disparata, ut scilicet *primo*, velit Episcopum esse irreprehensibilem; *secundo*, ut eundem velit esse unius uxoris virum; varias enim hic dotes ab Episcopo requirit.

Secundo, ut demus *ter* irreprehensibilem ad sequentia referri, eaque generatim complecti, respondeo, per *irreprehensibilem* intelligit non tantum earentem crimine, sed etiam nota quapiam, quæ ab hominibus notari et reprehendi solet, quæque alicujus viti, infirmitatis, aut imperfectionis hominibus suspensionem præbet : talis autem est digamia. Hæc enim præbet hominibus suspensionem incontinentiæ et propensionis in libidinem; unde in Episcopo turpis est et reprehensibilis; decet enim Episcopos esse castos, ut suis castitate præluceant, utque liberius eos hortari possint ad continentiam, inquit Ambrosius, *lib. I Officior.*, cap. ult. Hinc et Gentiles, digamos a sacerdote repulerunt. « Inter Gentiles etiam, inquit Hieronymus *ad Agerubianum*, epist. 11, flamen unius uxoris vir ad sacerdotium admittitur, flammisæ quoque unius viri uxor eligitur : ad tauri Egypti sacra semel maritus assumitur. » Hinc Dido *Æneid. IV*, ait :

Hinc uni forsani potui succumbere culpa.

Culpa, inquit Servius, propter antiquum ritum, quo repellébantur a sacerdotio his nuptæ.

Dices *secundo* : Scortatores et adulteri, si se emendant, non repelluntur a sacerdotio; ergo multo minus digami, qui successive duas habuerunt uxores, sunt ab eo repellendi.

Respondeo : Nego consequentiam; nam non tantum ob incontinentiæ speciem, de qua jam dixi, digami repelluntur, sed etiam ob mysticam significationem : Episcopus enim representare debet Christum, qui unam tantum habuit sponsam, eamque virginem, scilicet Ecclesiam; non potest ergo esse digamus, sed monogamus. ut

pulchre docet S. Augustinus, *lib. De Bono conj.*, cap. xviii, cujus verba modo recitabo. Sicut ergo lege Ecclesiastica iudices, qui reos morte multant, sunt irregulares et inhabiles ad sacerdotium, non ob crimen (nullum enim admiserunt, imo justitiam excreverunt), sed ob indecentiam et ob significationem; debet enim sacerdos referre mansuetudinem Christi, et remotissimus esse a sanguinis effusione : ita pariter juste potuit Ecclesia sancire legem, qua digamos, qui similem incontinentiam et significationem, arceret a sacerdotio. Est enim duplicis generis irregularitas legibus Ecclesie sancita : prior ob enormia crimina, inter quæ non sunt fornicatio et adulterium; secunda ob mysticam significationem, qualis est in digamia et iudicis capitalibus.

Obiicit *tertio*, Calvinus : Saltem Apostolus inter dotes Episcopi ponit, esse « unius uxoris virum : » ergo requirit ut Episcopus sit conjugatus saltem cum una. Idem olim Hieronymo obiicit Vigilantius.

Respondeo cum Theophylacto et Patribus, « unius uxoris virum esse dotem Episcopi, non positivam, sed negativam, quæ tamen inuit aliam dotes positivam : unius enim uxoris vir est, qui adeo continens est, ut non habeat vel habuerit plures uxores, quam unam. Non ergo præcipit Apostolus, ut laudat, ut Episcopos habeat unam uxorem, sed si habuerit, ut unam tantum habuerit; quod si nullam habeat, habuerit, non ineptum, sed aptorem episcopatu censendum vult Apostolus : vult enim Episcopum eligi quam fieri possit castissimum. Nam aliqui ipse Paulus contra hanc legem peccasset, utpote qui Timotheo et Titum creaverit Episcopos, qui, teste S. Ignatio et Philadelphios, perpetuam coluerunt virginitatem : verum quia tempore Christi, rari inter Gentiles et Judæos inveniebantur cælibes, et plerique omnes erant conjugati, hinc eosdem jam conversos ad Christum, eo quod desissent cælibes apti, necesse erat promoveri ad episcopatus et sacerdotia : ita tamen, ut monogamos, quasi castiores eligi velit Apostolus.

Ubi nota : Hi, qui ex conjugio vocabantur ad sacerdotium, post ordinationem usu conjugii abstinabant communi Ecclesie lege, idque ob excellentem sacerdotii dignitatem, quæ puritatem angelicam requirit, et ut toti Christo et Ecclesie vacarent. Unde Apostolus *ad Titum*, cap. 1, 8, vult Episcopum esse continentem. Certe constat sanctissimos omnes et doctissimos Episcopos, qui a mille ducentis annis vixerunt, fuisse cælibes. hoc id Epiphanius *hæres. 59*, quæ est Catharorum. « A dices, inquit, in quibusdam locis presbyteros et diaconos adhuc liberos gignere, sed hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus clangit. » Et Hieronymus, *lib. I Contra Vigilantium* : « Quid facient, inquit, Orientis Ecclesie, quid Egypti et Sedis Apostolicae, quæ ut virginis clericos acce-

Cardia mi accedunt ad sacerdotio

Obiicit *tertia*.

Respondeo. Qualis dotes in Episcopo sit esse unius uxoris virum?

Episcopus autem quasi angelus.

Qualis est dotes in Episcopo esse Episcopus est Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranympum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, honorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, rationum dispensatorem, sal terre, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Dominum, postremo Deum Pharaonis.

Sed dotes in Episcopo exigit Paulus. Quis enim uxoris vir? Primæ dotes positio

Digamia in Episcopo est turpis et reprehensibilis.

Gentiles archidiaconos a sacerdotio.

Pr

pian, aut continentes, aut, si uxores habuerint, desunt esse mariti. » Idem docent et sancti sanctissimi Pontifices, Siricius, epist. ad *Himerium*; Leo I, epist. ad *Anastasium*; Innocentius I, epist. ad *Vetricium*; imo Concilium Nicenum I, *can. 3*, et *Eliberinum, can. 33*. Quod ergo Graeci sacerdotis utantur conjugibus, quas ante sacerdotium duxerint, abusus est, inductus a Graecis in continentibus sub annum Domini 700, in Synodo Trullana (quae non legitima, sed clauularia et profana Synodus fuit), *can. 13*; nam ante hos Trullanos, Graeci Patres in Concilio Niceno, alique, ut patet ex *Epiphano* loco citato, hunc abusum damnarunt: illum tamen, utpole nimis inolitum, pacis causa, Graecis jam permittit Ecclesia Romana, ut patet cap. *Cum olim*, de clericis conjugatis. Denique fuit olim controversia inter S. Hieronymum et Augustinum an haec dignitas, quae est impedimentum sacerdotii, sit accipienda ante baptismum, an vero tantum post baptismum. S. Hieronymus, epist. ad *Oecumium*, vult tantum censendus hic dignitas, qui post baptismum duas uxores successive duxerint, non vero eos, qui ante baptismum unam, et ea defuncta post baptismum alteram duxerint.

Negat id Augustinus, vultque tam hos, quam illos esse dignos et irregulares; Ita enim habet, lib. *De Bono coniug.*, cap. xviii: « Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus haberit alteram, ordinandum esse censuerunt; de Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Propter Sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiam catechumena fuerit vitata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari: ita non absurde visum est eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam Sacramenti amisisse, non ad vite bonae meritum, sed ad ordinationis Ecclesiae signaculum necessarium. » Augustini sententiam secuta est Ecclesia cum suo capite Innocentio I, ut patet 28, q. III.

Sobrius. — Graecum *νηπιος*, tam sobrius, quam vigilans (ut verit. Theodoretus et Syrus), atque perspicacem, siveque rebus attentum (ut Theophylactus) significat: nam sobrietas mater est vigilantiae, ingenii et solertiae. Inde *νηπιος* sacra dicebantur, in quibus pro vino libabatur aqua: nimirum non decet speculatorem omnium saluti invigilantem esse dormitandum; nec vigilare potest, qui ventri se addicit. Talem, vigilantem scilicet pastorem, se praebuit Jacob patriarcha, *Genes. xxxi*, vers. 39. Tales debent esse Episcopi et Pastores: imo, ut ait Chrysostomus, imitari, adeoque superare debent duces castrorum, qui noctu dique universum suum exercitum perlustrant.

Prudentem. — Graecum *σοφως*, etiam temperantem, et, ut Ambrosius ac Hieronymus verunt, *prudicum*; proprie tamen prudentem, qui

sana mente, iudicio ac consilio est. significat, praesertim hoc loco, ubi praesessit « sobrius. » In Episcopo magna requiritur prudentia; nam « ars artem, inquit Nazianzenus, *Apol. 1*, scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal scilicet omnium maxime varium et multiplex. »

Rursus, omni Ecclesiae negotia dirigere debet Episcopus: quanta ergo et quam varia opus est illi prudentia? *Tertio*, omnibus virtutibus pollere et excellere oportet Episcopum, ergo rara et admirabilia prudentia praeditus sit necesse est; prudentia enim auriga est omnium virtutum, ut dicere solebat S. Antonius. Hinc Aristoteles, *VII Ethic.*, cap. xiii, docet omnes virtutes in prudentia esse connexas, ideoque Socratem asseruisse quod virtutes omnes sunt quaedam prudentia, quia scilicet nulla sine prudentia esse aut consistere potest; prudentia enim omnes dirigere, omnibus quid agendum, quid cavendum sit, dicere et praescribere debet.

Ornatum. — *ἑταπε*, id est, honesto habitu, qui virum gravem docet, ornatum: idem enim est verbum, quod cap. II, vers. 9, *Noster veritas, in habitu ornato.*

Secundo et melius, Hieronymus ad Oecumium, ex Cicerone ait: « Ornatu vocatur, qui decorem servat in motu, incessu, habitu et sermone. » **Ornatum ergo idem est, quod moribus compositum, ut etiam per corpus appareat animi moderatio et temperantia.** « Amictus enim corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo, » *Ecclesiastici* xix, 27. Et ut ait Cicerio: « Caput est artis docere quod facias. » Ita cum Hieronymo explicat Theodoretus, Syrus, Anselmus et alii. Hinc S. Ambrosius, ut narrat hic D. Thomas, quaedam ordinare noluit, hoc solo nomine, quod dissolute irascenderet. De hoc ornatu sacerdotis vide fuse S. Gregorium, homil. 17 in *Evangel.* Hinc graviter et querula voce S. Ambrosius, lib. *De Dignitate sacerdotali*, cap. vi, et Gregorius, loco citato, docent, causam cur subinde sacerdotes, Episcopi et clerici despiciantur, esse ipsorum modum levitatem, inscitiam, mores incompositos, impuram et improbam vitam. Hoc enim est quod Iulianus Possidonius, cap. xvi *Vite ejus*, quod tanti doctoris exemplum quia memorabile est nobisque imitandum, hic ascribam: « Feminam, inquit Possidonius, intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quae vidua Deo servius multo tem-

Ornatu est moribus composita.

Nola fuisse S. Ambrosium.

Nellam feminam, ne ornatam quidem quidem.

pore, usque in diem obitus sui, praeposita ancillarum Dei vilis; sed neque patri sui filiae, et fratris sui filix, quae pariter Deo serviebant; quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exemplis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore et nepthibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio; tamen, quoniam ille persona sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent, et quod ad eas etiam aliae a foris intrarent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci. Ob hoc ergo dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei etiam castissimis, in una manere domo. Et si forte ab aliquibus feminis, ut videretur et salubretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquod interesset.

Ita S. Xaverius mulieres adiri aiebat minori fructu et majori periculo vel tentationis, vel suspitionis sinistrae. Imo Concilium Carthagenense, *can. 23*, docerit ne Episcopi, Presbyteri vel clerici feminas accedant, nisi adsint alii clerici, vel graves aliqui Christiani.

Quam haec res sit magni momenti aequae ac periculosa, praclare docet, et graviter admonet Auctor libri *De Singularitate* (sive solitaria et a feminis semota vita) clericorum, qui extat inter opera Cypriani: « Lubrica, inquit, spes est, quae inter fomenta peccati salvari se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere. » Et infra: « Ipsi nos fallimus quoties credimus inter masculos et feminas castitatem immobilem custodiri. Difficile quis venenum bibit et vivet; verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus I ad *Corinth.* x: Qui se putat stare, videat ne cadat; et utilius est infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam si fortis videri velit, infirmus emergat. » Et infra: « De carbonibus scintilla dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspidem sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimentis procedit timea, et a muliere iniquitas viri. » Ad finem ita exhortando concludit: « Sic ignis ambulat, sic agilis ut semper in clericis Ecclesiae senatus candidus constitat: severitas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur. »

Denique audi quid sit mulier, et vide quam cavenda sit. Sic eam describit Anastasius Nicenus, tom. VI. *Bibliotheca SS. Patrum*, Quæst. LXII, § *Omnia asperet*: « Quid est, inquit, mulier? in terra naufragium, fons sceleris, lethalis occursus, lapsus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, septrum inferorum, proceps desiderium, juvenum perniciem. Quid mulier? sanctorum calamita, quae serpentes, diaboli solatium, egrotudo inconsolabilis, formax succensa, eorum qui servantur scandalum, vitium immedicabile, diu-

nae nage, prodigiorum hospitium, officina demorum. Quid est mulier? os diffractum, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, magistra delictorum, vestigia viperæ, domus tempestis, viri naufragium, immitis fera, » etc.

Ut ergo sacerdotis et clerici pudicos se servent feminarum colloquia et consortia devitent. Ideo faciunt vicissim feminae, praesertim virgines, caventque ne unquam absque arbitris cum aliquo viro, etiam Religioso, etiam confessorio, secreto colloquantur; sed omnia agantur in propatulo, ubi a multis videri possint: vel si infra domum in cubiculo aliquo tractandum sit, nunquam desit testis qui omnia videat. Meminerint Thamar occulto, quod testis deesset, a fratre esse incestatam. Meminerint pene omnes quotquot ceciderunt, hujus monti negligentia accidisse. Si nulla essent in abdito et absque inspectore colloquia, nulla essent stupra. Hinc S. Ambrosius, lib. II in *Lucam*: « Trepidare, ait, virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. » Loquitur de virgine cum sola est: in occulto enim utraque alteri est ignis, uterque fomes et stupa; atque diabolus tam sedit, omnesque vires suas exserit, ne tam commoda ipsi occasio sine lucro praeraleat.

Scriptis S. Leander, Episcopus Hispanensis, insignem regulam, sive institutionem virginum ad Florentinam sororem, quam edidit noster Brouverus, in qua cap. II, ita ei praecipit: « Quisquis vir, si sanctus est, nullam tecum querat familiaritatem, ne videndi jugitate aut infametur utriusque sanctitas, aut percat. Decidet enim a charitate Dei, quae perpetrandi mali operis occasionem praebuerit. Decidet a charitate proximi, quae, etsi male non agit, opinionem tamen pessimam famam nutrit. Dispar enim sexus in unum locatus, eo stillatit inflicto, quod nascitur, et naturalis movetur flamma, si incompasita attingit. Quis colligabit ignem in sinu suo, et non comburetur? ignis et stupa sibi utraque contraria in unum reducta, flammam nutriunt. Viri sexus et feminae diversus si conjungitur, quo lex naturae provocat, commovetur. »

Nimirum, ut aiebat Plato, vir appetit feminam tanquam sui partem (cupit enim costam redire ad latus viri, ex quo sumpta est), et femina virum, sicut pars appetit suum totum, cupitque ei jungi et illi inexistere. Vide S. Hieronymum, epist. 8, 9, 10, 11 et 22. Hic est ergo scopulus latens, sed nocentissimus, ad quem incauti aut sibi praesidentes alii viri magni et sancti, castitatis naufragium fecerunt. O qualia et quanta videmus in die iudicii! Qui sapiis, fuge banda Sirens.

HOSPITALEM. — *ἐπιεικως*, id est peregrinorum amantem, et erga eos hospitalem. Haec virtus Episcopo est necessaria, ideoque tantas opes Episcopis attribuit Ecclesia. Hinc S. Gregorius scribens ad *Joannem Episcopum*: « Hospitalitatem, ait, nesciens non fiat Episcopus. » Et Hieronymus ait

Hospitalitas est virtus, quae deest Episcopum esse SS. Gregorius.

De rebus Ecclesiae Carthaginensis de feminis clericorum loquendis. De eodem re et S. Gregorius.

Oceanum : « Ante omnia, inquit, hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud Evangelii audire desiderant : Hospes fui, et susceptus me, quanto magis Episcopus, cujus domus omnium debet esse hospitium ! Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium ; Episcopus nisi omnes recipiat, inhumanus est. » Ita peregrinos conquirebat, et colligebat S. Job ; hinc cap. XXI, vers. 32, ait : « Foris non mansit peregrinus, et ostium meum viatori patuit. »

Ita S. Gregorius Pontifex semper pauperes et peregrinos hospitio et mensa excoipiebat : quod ita fuit gratum Deo, et Christus speciem pauperis induens, mensa ab eo excoipi voluerit. Testis est Joannes Diaconus in *Vita S. Gregorii*, lib. II, cap. XVII et XVIII.

Ita Leo IX Pontifex sub annum Domini 1048, effusus in pauperes et peregrinos, leprosum ante aedes suas inventum in lecto suo collocari jussit, ac mane sequenti eundem requirere disparuisse comperit. Creditum est Christum specie pauperis, Pontificis tunc misericordis lecto decubuisse. Narrat hoc Sigebertus in *Chronico*, et Platina in *Vita Leonis IX*.

DOCTOREM, — ἰσχυρὸς, id est aptum ad dependendum. Doctrinam ab Episcopo Apostolos requirit, non laicam ; sed hanc quasi doctrinam testem requirit Concilium Tridentinum, dum vult gradu Licentie in Theologia, vel Jure Canonico insignitos eligi in Episcopos. Hinc est prima Episcopi, qua Episcopus est, dos. « Summa enim, inquit Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, omnium virtutum Episcopatum est scientia et doctrina. » Et Hieronymus ad *Oceanum* : « Absque sermone, inquit, conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. » Hinc pontifex legis veteris in Rationali inscriptum habebat : « Doctrina et veritas. » « Est enim doctrina, inquit Theophylactus, in cap. I ad *Timum*, virtus et character Episcopi. » Hinc quoque ad *Timum*, cap. I, ad Episcopo requirit Apostolus, « ut potens sit exhortari. » Et Concilium Tridentinum potissimum Episcopi munus esse predicationem verbi Dei, illudque Episcopum per se, si possit, obire debere, docet sess. V, cap. I.

NON PERCUSOREM, — id est, qui lingua non feriat, non jurgetur, non convicietur, non maledicat. Ita Chrysostomus. Sunt enim et « patrie verbera lingue, » inquit Horatius, cum scilicet patres acerbe conjurgant filios.

Secundo et simpliciter, q. d. Qui manibus non percutiat, non se viat, non sit asper et crudelis in domesticis et auditis. Ita Syrus, Theophylactus et Anselmus. a Percussorem, inquit Hieronymus, Episcopum ille condemat (Christus) qui dorsum posuit ad flagella, et maledictus non maledixit. »

Tertio, Theophylactus et Anselmus : « Non percussorem, id est qui non feriat fratrum conscientiam importuno verbo, vel exemplo : sed hoc est

mysticum. Græca hic addunt με ἀσπράζω, id est non turpis lucri cupidum ; sed hoc videtur redundare. Nam mox sequitur, ἀσπράζω id est non cupidum argenti.

MODESTUM, — ἡμεῖς, id est æquum. Equus, inquit Aristoteles, V *Ethico*, cap. X, dicitur, qui non persequitur summum jus, in quo summa est injuria ; sed in partem propendat benigniorem, quam dicat æquitas et moderatio. Unde virtus eo inclinans dicitur episcopica.

NON LITIGIOSUM, — ἐκαθεν id est alienum a pugna, non tam verberum, de qua processit, quam verborum. Unde Hieronymus, lib. I *Contra Pelagianos*, vertit, absque jurgio. Idem ad *Oceanum* docet, quam lites dedeant Episcopum : « Nil, inquit, impudens est arrogantia rusticiorum, qui garullitatem auctoritatem putant, et parati semper ad lites in subjectum sibi gregem tamidis sermonibus tonant. »

NON CUPIDUM, — ἀσπράζω, id est alienum ab argenti cupiditate. « Gloria Episcopi, inquit Hieronymus ad *Nepotianum*, est pauperum opibus providere ; ignominia sacerdotis est propriis studere. Natus in paupere domo et tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane regientem ventrem saturare poteram, nunc similia et mella fastidio, » etc.

Terribile exemplum hujus avaritiæ narrat Munster, lib. III *Cosmograph.*, de Hatone Moguntino Archiepiscopo anno Domini 914, qui pauperes vocans mures, et quasi mures fame perire permittens, justa Dei vindicta a muribus, perinde ac Pharao a ranis et musis, invasus, ac tandem ad turrim, que etiamnum in medio hæretici visitur, confugiens, ibi ab eisdem peremptus et devoratus est. Verum hanc Hattonis a muribus comesti historiam multis refutat noster Serarius in *Moguntia*, lib. IV, cap. IV et V, dicitque fabulam ortam a Popiolo, Polono principe, qui ob crudelitatem a muribus comestus est.

SCIE DOMI BENE PRÆPOSITUM, — καλῶς προϊστάμενος, id est qui domui bene præsit. Ex aptitudine enim et dexteritate regimini economici sumitur iudicium de aptitudine ad regimen politicum et Ecclesiasticum ; qui enim bene domum suam moderatur, signum est quod idem bene reget Ecclesiam : « et qui domui sue præesse nescit, inquit Paulus vers. 3, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit? » Unde S. Hieronymus ad *Oceanum* : « Vult, ait, Apostolus Episcopum domum suam bene regere, non ut opes augeat, non ut regias pareat epulas, non ut calatas patinas struat, non ut phasidis aves lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perveniant et superiorum carnis non dissolvant artificii temperamento ; sed ut quod populo præcepturus est, prius a domesticis exigat. » Quid? quod can. 18 Concilii Carthagin. ita præscribitur : « Ut Episcopi, presbyteri et diaconi non ordinentur prius, quam omnes qui sunt in domo eorum, Christiano Catholicos fecerint. »

Exemplum Historicum

FILIOS (si quos genuerit antequam crearetur Episcopus : unde et Ambrosius notat, non dicere Paulum, Facientem aut gignentem, sed) HABENTEM SCRIBITIS CUM OMNI CASTITATE. — Græce ἀσπράζω, id est honestate et gravitate morum ; Vatablus, cum omni reverentia ; Syrus, cum omni puritate ; Erasmus, cum ingenio et liberali pudore. Hunc enim exigit subjectio, quom filii debent parentibus, de qua processit. Vult ergo Paulus ex moribus compositis liberorum, patris mores modumque educandi et regendi estimari, eumque deligi Episcopum, qui liberos optime instituerit. Unde S. Bernardus, lib. IV *De Coasid. ad Eugenium* : « Interest, inquit, gloria Sanctitatis tue, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quantum totius honestatis et ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inveniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti, circumspecti, sese custodientes in omni castitate, » etc. Quid si aliquis durus est, et regimini reluctatur? Respondet Bernardus : « Noli diffidere, curam exigeris, non curacionem. Audisti, Curam illius habe ; non Cura, vel sana illum. »

Non est in medico semper, relevetur ut egro.

Ver. 5.

SI QUIS AUTEM DOMI SUE PRÆESSE NESCIT, QUOMODO ECCLESIE DEI DILIGENTIAM HABEBIT — Græce ἐπιπροϊστάμενος, id est ἐπιτοκῶ habebit. « Est enim, inquit Chrysostomus, Ecclesia velut domus quedam : ac sicut in domo uxor est, et filii ac servi, omniumque cura ac regimen incumbit viro, ita ferme et in Ecclesia videas. Est autem longe difficillius Ecclesiam, quam domum regere ; qui ergo rem familiarem dispensare nescit, is quo pacto Ecclesiam rite præesse posse putandus est? » Quam ergo stolidia est ambitio nonnullorum, qui cum se suosque regere nesciant, republicam vel Ecclesiam regere gestiunt? Quibus jure competit illud S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, initio tom. III : « Antequam renigare sciamus, gubernare tentamus. » Duces et capitanei esse volumus, qui militare et arma tractare non didicimus. Themistocles, Atheniensium dux, uxoriardentius pro filio aliquid petenti respondit : « Athenienses Græcis, ego Atheniensibus, tu mihi, tibi filius imperat. Vide ergo ne insipiens omnibus Græcis imperet. » Quid jam suis dicat Episcopus?

Themistocles Histor.

Quærit Chrysostomus cur Apostolus communes virtutes hic, non autem raras et heroicas ab Episcopo requirat? cur Episcopus non vult plane esse mortificatus, mundo mortuos, cælestes, divinos? ac respondet : « Quia per paucos tales invenire erat : Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas civitates magistri constituerentur ; ne ergo Ecclesiæ negotia fructusque perirent, ideo moderatam virtutem proposuit inquirendam, non supremam illam atque cælestem. Quippe sobrium et pudicum et honestum esse, multorum commune erat. »

NON NEOPHYTUM : NE IN SUPERBIA ELATUS, IN JUDICIUM INCIDAT DIABOLI. — Νεοφύτων Græci vocant novitium, quasi nove naturæ aut plantatum, Christoque insitum in baptismo, id est recens a judaismo aut gentilitio conversum et baptizatum, q. d. Ne facile ordines Episcoporum cum qui in fide novitius est, ne scilicet talis non eo episcopatus honore superbiat et novitate potestatis afflatur, putans se aliis in fide veteribus meliorem, statimque perfectionem Christianam adeptum, ac quasi Ecclesia eo indigeat, illique non tam confertur, quam ab eo beneficium accipiat, et aliis præesse et insolenter dominari velit. « Excludit neophytus, ait Haymo, ne dicere possit : Indigeat Ecclesia mea sapientia, ideo me ad fidem adduxit et super se constituit ; » itaque « in iudicium, » id est condemnationem, « incidat diaboli, » qui neophytus in celo nova creationis sue pulchritudine superbiit, ideoque damnatus est. Alii alter : primo, aliqui sic, si; κήρυξ, id est, inquit, in jus et potestatem diaboli; secundo, alii et; κήρυξ, id est in criminationem diaboli; tertio, Maldonatus et; κήρυξ, id est in peccatum, per quod homo diaboli jurisdictioni et iudicio quasi subijcitur. Nam quod hic vocat κήρυξ, vers. seq. vocat παρρησία. Ita Chrysostomus et Theophylactus (1).

Car. deo paphras. sacerdotio arcol Paulus!

« Quam sit turpe neophytum eligi, hisce verbis describit Hieronymus ad *Oceanum* : « Hæri, ait, catechumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, mane in altario; dudum factor histrionum, nunc virginum consecrator. » Et S. Gregorius, lib. IV *Registr.*, epist. 30 : « Alia, ait, quoque res valde detestabilis nobis nuntiata, quod quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis, defunctis Episcopis tonsuratum et fuit subito sacerdotium venit, qui repente de laico habitu ad sacrum transit ducatur : et qui miles nunquam exiit, dux religiosorum fieri non pertimescit. Quam iste predicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audivit alienam? aut quando aliqua mala corrigat, qui necdum sua flevit? » Deinde testimonio hoc Pauli et rerum naturalium exemplo idipsum confirmans, subdit : « Et cum ad sacros Ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputatus, qui adhuc novus est in sancta conversatione. Scimus autem quod admodum parvæ non prius tignorum pondus accipiunt, nisi novitatis sue humores siccetur. Et cum ad nidiculum arbuta succidimus, ut prius viriditatis humor exsiccare debeat, expectamus, ne ex ipsa novitate erumpant et contracta citius corrumpant. » Vide eundem, lib. VII *Registr.*, epist. 412.

Excepit ab hæc lege, nisi neophyti vita adeo est

(1) Rosenmullerus Græcum διὰ τὸς vertit maledicium.

probata, ut de ejus aptitudine ad Episcopatum nullum sit dubium, ut nisi Dei oraculo neophytus designetur Episcopus. Sic enim S. Ambrosius necdum baptizatus Mediolani a puero, et mox a toto populo conclamatus Episcopus, electus et consecratus est.

7. OPORTET AUTEM ILLUM ET TESTIMONIUM BONUM (bonae vitae) HABERE AB HIS QUI FORIS SUNT (ab infidelibus), UT NON IN OPPROBRIUM INCIDAT, ET IN LAQUEUM DIABOLI. — «Et» hic significat id est: ipsum enim opprobrium vocat «laqueum diaboli.» q. d. Talis eligatur Episcopus, cui etiam Gentiles probitatis testimonium perhibeant, ne aliqui ipsi pristina vitia ei exprobrent, itaque ipse incidat in laqueum diaboli, id est infamiam. Itaque commune probum, quo quasi laqueo diaboli multos fideles et infideles capiat, eosque a tali Episcopo, et consequenter a fide et religione Christi avertat. Ita Ambrosius.

Secundo, ut Theophylactus, «ne in laqueum,» id est in pristina Gentilium peccata, recidat, itaque omnibus sit scandalum et ruina.

Tertio, ut Anselmus, «ne in laqueum,» id est iram et odium Gentilium incidat, cum eisque inimicitias suscipiat, utpote qui ei sua vitia exprobrent, vel etiam ab eis occidatur. Unde nonnulli per «laqueum diaboli» intelligunt laqueum calumniantis: hunc enim significat Graecum διαβολος. Primus sensus magis connexus et genuinus est.

Narrat Lampadius in Vita Alexandri Severi, solere Christianos proponere publice nomina eorum qui ordinantur et sunt sacerdotes, popululumque rogare, ut si quis quid criminis de quopiam nosset, ediceret. Sic et ordinandorum nomina publice proponi, in eorumque vitam inquiri, jubet Concilium Tridentinum, sess. XXXIII, can. 3.

8. DIACONUS SIMILITER PUDICUS, NON BILINGUES, NON MULTO VINO DEDITUS, NON TURPE LUCRUM SECTANTES, HABENTES MYSTERIUM FIDEI IN CONSCIENTIA PURA. — Post descriptionem Episcopi, sub quo et presbyteros complectitur, transit Apostolus ad diaconos: hi enim sunt Episcoporum et presbyterorum ministri, non tantum in custodia thesauri Ecclesiae, et distributione elemosynarum; sed etiam in sacrificio Missae, in quo olim diaconi calicem sanguinis Domini populo ministrabant. Unde S. Laurentius apud Ambrosium, lib. I Offic., cap. iv, sibi quasi diacono creditam diei Domini sanguinis dispensationem. Adeoque diaconi, ait Clemens Romanus, epist. 4 et 2, sunt oculi Episcopi, quales jam sunt Archidiaconi, qui totum munus veterum diaconorum retinent et referunt, sicut Archipresbyteri et Pastores totum munus veterum presbyterorum, qui Ecclesiam Dei gubernabant, retinent et referunt. Erat enim diaconi assistere Episcopo et sacrificanti et praedicanti, imo diaconus sacerdoti in sacrificio oco-

perabatur et quodammodo cum illo offerrebat sacrificium. Unde S. Laurentius ad Sixtum: «Tu, inquit, nunquam sine diacono sacrificium offerre consueveras.» Majus hujus rei argumentum est, quod in Offeritorio, cum offertur calix vini, diaconus contingens brachium sacerdotis quasi ei cooperans et subserviens, una cum sacerdote dicere solet: «Offerimus tibi, Domine, calicem,» uti praescribit Missale Romanum. Rursum secundo, diaconi erat particularia fidelium considerare, et ad Episcopum referre; ac tertio, externa pro arbitratu Episcopi tractare, ut is ab orationis instantia et assiduo verbi Dei ministerio non impediretur.

Diaconos ergo Apostolus vult esse «pudicos,» graece σωφρονεις, id est honestos, compositos, ac vita puritate morumque gravitate conspicuos.

Secundo, vult eos esse «non bilingues,» graece διαζυγεις, id est duplices in sermone, et in dictis inconstantes, ut hic affirmant, ibi negant, quod est hominis fallacis, adulatoris et mendacis. «Nihil autem, inquit Chrysostomus, ita nos degenerare a spirituali nobilitate facit, nihilque in Ecclesia nocet magis, quam versuta simulatio.»

Tertio, «non multo vino deditos.» Non dixit, inquit Theophylactus, non ebrios, non temulentos (hoc enim omnino indignum est), verum non multum potantes, hoc enim animae mentisque vim et vigorem, licet non eripiat, luxat tamen et debilitat, malique est exempli.

Quarto, «non turpe lucrum sectantes,» quod quarto fit, inquit Ambrosius, quando sub pia professione quaestui studetur. Rursum, cum clericis mercaturae vacat, sordidaque officia obit lucri gratia. Illic negotio clericis prohibita est a Canonibus.

Quinto, «habentes mysterium fidei in pura conscientia,» id est tenentes mysteria fidei cum pura conscientia, ut scilicet teneant puram fidem et simul conscientiam ac vitam fidei pure conformem, sive ut cum sincera fide et doctrina vitam habeant irreprehensibilem. Ita Theodoretus, Theophylactus et alii.

Secundo, S. Thomas et Petrus Lombardus per «mysterium fidei» intelligunt dogmata fidei recondita, quae aliis, maxime laicis, sunt occulta. Haec enim scire debent diaconi, eaque conservare tanquam myste, vel potius symmyste sacerdotum (1).

Tertio, per «mysterium fidei» Catharinus, Heselius, Magallianus, Soto Major, intelligunt sacram Eucharistiam: haec enim a Dionysio, Chrysostomo, Cyrillo, Basilio, antonomastice vocatur «mysterium,» vel tremenda mysteria. Unde in forma consecrationis sanguinis Domini, calix sanguinis vocatur «mysterium fidei;» et in Graeco additur τω, quasi designet certum mysterium, q. d.

(1) Fidei mysterium idem est quod Col. iv, 3, mysterium Christi. Sic vocatur Christiana doctrina, quia Paganis occulta fuit is temporibus.

Diaconi habeant, id est servent et custodiant (hoc enim quoque significat Graecum φυο) Eucharistiam, quae est mysterium illud arcanum fidei Christianae; in pura conscientia, ut scilicet pura mente et manibus calicem Eucharistiae tractent, eumque populo administrent. Solent enim Patres veteres etque ut Paulus hic, loqui tecte et arcane, ne Gentiles rem tantam audientes et non intelligentes iriderent et subsannarent: hinc passim eam vocant arcanum mysterium. Hic sensus valde appositus est: tangit enim proprium et praecipuum diaconorum munus et officium.

Addit noster Lorinus in Actor. vi, 3, videri haec verba, «mysterium fidei,» in consecratione calicis sumpta esse ex hoc Apostoli loco. Unde et Innocentius III, cap. Cum Marthae, de celebrat. Missar., asserit verba illi consecrationis calicis addita esse ex Apostolica traditione. Causam dat Ivo, quod scilicet ingens hic mysterium lateat, nimirum sanguis Christi sub specie vini, q. d. «Sacramenta quae vides in altari, aestimanda sunt, non specie, sed fide.»

10. ET HI AUTEM PROBEUNT PRIMUM (q. d. Sicut Episcopus, ita et diaconi debent esse non neophyti, sed quorum virtus diu spectata et probata sit), ET SIC (ordinati ab Episcopo) MINISTRENT, NULLUM CRIMEN HABENTES. — Graece ἀνεπίστατοι εἶναι, id est, dum iuveni sunt (per probationem et examen factum ante eorum ordinationem) irreprehensibiles, quos accusare, quos criminari nemo possit. Erasmus vero et Vatablus non ad praeteritum, sed ad futurum haec referentes vertunt, «ministrent diaconi, sicut et nemo eos criminari possit,» q. d. Uti ante ordinationem diaconi probati sunt et inventi irreprehensibiles, ita post eam se probent ministrando, ac diaconatu fungendo inculpate et irreprehensibiliter. Sed prior sensus nostri Interpretis verius et aptius cohaeret cum verbo «probeunt.»

11. MULIERES SIMILITER PUDICAS, NON DETRAHENTES, SOBRIAS, FIDELES IN OMNIBUS. — Ambrosius putat Apostolum loqui de quibusvis mulieribus. Secundo, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius putant eum loqui de diaconissis: nisi enim, inquit Theophylactus, de his loqueretur, quid erat opus, cum de diaconis verba faceret, ad mulieres sermonem traducere? Tertio et optime, D. Thomas, Lombardus, Heselius et alii accipiunt de uxoribus diaconorum, quas post ordinationem retinebant diaconi atque ut Episcopi: sed eorum usu abstinebant. Unde pro mulieres, graece est γυναικας, quod tam uxores, ut vertit Vatablus et Erasmus, quam mulieres significat. Sicut ergo paulo ante Apostolus Episcopum cum sua familia vult esse illibatum. Nec ab hac expositione dissidet expositio secunda Chrysostomi et Theodoret; poterant enim uxores Episcoporum et diaconorum esse diaconissae.

Ubi nota: Diaconissae, utpote feminae, non ordinantur; unde Concilium Nicaenum, cap. 19, eas inter laicas deputat. Perperam ergo ex hoc loco Catharyge sicut viros diaconos, ita et mulieres ordinabant diaconissas, imo et presbyteras et episcopas, ut testatur Epiphanius in eorum haeresi.

Diaconissae itaque erant mulieres templi ministeris addictae, uti jam sunt Moniales aut Beguinae: quoniam earum fuerint officia, dicam capite v, vers. 9.

Uxores ergo diaconorum, quas scilicet diaconi duxerant, non post, sed ante susceptum ordinem diaconatus, uti ostendi vers. 2, quaeque marito facto diacono fiebant subinde diaconissae, tales quales iam dixi, has, inquam, vult Apostolus primo, esse «pudicas,» graece σωφρονεις, id est honestate et gravitate morum conspicuas. Secundo, non detrahentes, πη διαβολος, id est non calumniatrices; Ambrosius verit, non studentes discordiae. Hanc enim parit loquacitas mulierum calumniosa et detractoria. Tertio, «sobrias,» graece νηπιων, Tertio, quod tam sobrias, quam vigilantes et prudentes significat. Hac ergo voce prohibet esse violentas, socordes, vecordes. Quarto, «fideles in omnibus,» scilicet tam in fide conjugali, quam in dispensatione rei domesticae, ne scilicet sint adulterae, aut furaces. Ex vita enim et fama uxorum pendet fama maritorum, praesertim diaconorum.

12. DIACONI SUNT UNUS UXORIS VIRI: QUI FILIUS VERS. 14. SUUS BENE PRESENT, ET SUUS DOMUS VIRI. — De hoc vide dicta vers. 2 et 4, ubi idem exegit ab Episcopo.

13. QUI ENIM BENE MINISTRABUNT (in suo diaconatu, unde graece est διακονησονται), GRADUM BONUM SIBI ACQUIRENT, ET MULTAM FIDUCIAM IN FIDE, QUAE EST IN CHRISTO IESU. — Id est bonum locum gratiae et meritorum tum apud Deum, tum apud homines, ut mereantur altius promoveri in sacerdotibus et Episcopos. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Unde Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. xi, jubet eos ad Ordines altiores promoveri, qui in inferioribus pio et fideliter se gesserint. Ita S. Cyprrianus, lib. IV, epist. 2 ad Antonianum, laudat S. Cornelium Pontificem, quod gradatim ad pontificatum fuerit euectus. «Non iste (Cornelius), inquit, ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Domini saepe promeritis, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit: tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, sed ipse vin passus est, ut episcopatum coactus acciperet.»

Nota: Per fiduciam Ambrosius intelligit fiduciam petendi et impetrandi a Deo id, quod ab eo petimus. Haec enim fiducia non tantum Dei misericordia, sed et bona potentis vita ac sanctitate nititur, ut docet Augustinus, lib. I de Doctrina Christiana, cap. XXXVII.

Verum pro fiduciam, graece est πιστωσας, id est

Vers. 8 et 9.

Transit ad presbyteros et ad diaconos.

Diaconi ministrant ei Episcopo.

Officia diaconi.

De consecratione calicis.

Prima de diaconi.

Secunda.

Tertia.

Quinta. Mysterium fidei tripliciter accipitur.

Per mulieres intelligitur uxores diaconorum.

Quales ille esse debent.

Primo. Secundo.

Tertio.

Quarto.

Vers. 14.

libertatem, scilicet docendi et arguendi, q. d. Diaconi bene fingentes officio acquirunt libertatem et auctoritatem, ut homines etiam potentes non eurent, sed libere ea, quae fides Christi exigit, profitentur, doceant, arguant et perficiant. Ita Theophylactus et Oecumenius.

Moraliter S. Bernardus, serm. 3 De Assumptione, explicans optimam partem Mariae prae Martha: « Benum, inquit, acquirit gradum, qui bene ministraverit: forte meliorem, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. »

14 et 43. HEC TIBI SCRIBO, UT SCIAS QUOMODO OPORTET TE IN DOMO DEI CONVERSARI, QUAE EST COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS. — Stimulum hunc dat Timotheo, ut digne, exacta et vigilantiter conversetur, obeatque munia episcopalia in Ecclesia Dei, scilicet ut cogitet, se id facere in domo Dei.

Nota: Non sola Ecclesia Ephesina, sed absolute Ecclesia universalis, hic vocatur « domus Dei et columna veritatis. » Universalis enim Ecclesia in fide errare non potest; Ephesina autem et quae libet particularis Ecclesia in fide errare potest. « Cum totus, inquit Ambrosius, mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur; ejus hodie rector est Damasus. » Alludit Apostolus ad Bethel, de qua viso Ibi Domino dixit Jacob, Genes. xxviii: « Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta caeli; » et ad tabernaculum templumque Iudeorum, quod Ecclesiam typus erat, ita Chrysostomus. Simul tacite admonet omnes fideles, ut reverenter et sancte se gerant in ecclesia, cogitantes se vivere et versari non in aula regis, sed in domo Dei, adeoque in oculis ipsius Dei optimi maximi.

15. QUAE EST COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS. — Addit hoc Apostolus, ut innotat Timotheo, magno cum studio ad haereses et errores deviantios et refellendos, pura veritati intelligendae et predicandae in Ecclesia, sibi incumbendum esse, adeoque se non Judaizantium aliorumque Novantium, sed Ecclesiae fidem sequi et predicare debere, ulpote quae sit basis veritatis; ac praesertim articulum illum fidei primum, et tunc maxime necessarium, quem subiecit hic Apostolus, scilicet ut praedicet fidem Ecclesiae de Christo unico redemptore, excluso Mose et operibus legis: hoc enim est « magnum pietatis sacramentum, » quod subdit Apostolus.

Nota: Ecclesiam dici « columnam et firmamentum veritatis, » id est columnam bene firmatam et firmamentum veritatem. Est enim hendiadys, qualis est cum dicitur: « Aurum frosque memoravit. » Rursus Ecclesia est « firmamentum veritatis » tam activum, quam passivum. Ecclesia enim in fide et veritate passive firmatur a Deo per infallibilem assistentiam Spiritus Sancti a Christo promissam, ac per eam fideles omnes active confirmat. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Beda et alii.

Ecclesia est firmamentum veritatis passivae activae.

Unde Commentarius Hieronymo ascriptus: Ecclesia, inquit, est « columna et firmamentum veritatis, » quia in ea sola stat veritas firmata, quae sola sustinet aedificium Ecclesiae.

Nota secundo: Alludit Apostolus ad duas columnas, quas erexit Salomon in ingressu templi a se extructi, quarum dextram vocavit Jachin, sinistram Booz, III Reg. vii, 21, ut his significarentur votum, scilicet optare se firmatam et stabilitatem templi sui, illamque quasi hoc facto et monumento portenderet. Ita Abulensis et Tablas ibi, et Franciscus Ribera, lib. II De Templo, cap. xiv. Fecit porro duas, et dextram vocavit hebraice Jachin, id est, ut Septuaginta vertunt II Paralip. cap. iii, vers. ult., « xaxiBooz », id est directio, a radice יך cum, id est dirigere; sinistram vero vocavit Booz, id est, ut Septuaginta, « xaxi », id est fortitudo: vel praecise Booz idem est quod « fortitudo in eo; » ut per Jachin significaret directivum imperium, tum Dei circa omnes creaturas et homines, sed maxime circa Judeos, eorumque templum; tum regum Israel circa regimen populi secundum pietatem, piumque Dei in templo cultum. Unde utraque columna coronata erat. Secundo, ut per sinistram Booz significaret fortitudinem executivam directorem: ut quod Jachin prudenter dirigi a Deo et a rege; hoc Booz fortiter exequi tam Deum, quam regem representaret; utrumque enim, scilicet tam prudens directio, quam fortis executio, in Deo est, et utrumque regibus est necessarium; utrumque ergo tacite, et reipsa per hasce duas columnas Deo gratulatus est Salomon, et implicite optavit et oravit, ut utrumque in templi et populi custodia ostenderet, eandemque sibi et suis in regno successoribus communicaret.

Haec duae columnae allegorice significabant Ecclesiam a Deo directam et stabilitam instar columnae. Unde Apostolus Ecclesiam vocat « columnam veritatis, » q. d. Columnae illae Salomonis umbrae tantum fuerunt, ipsa vero veritas est in Ecclesia Christi, quae columna est non mendacii, non vanitatis, non umbrae evanescentis, qualis fuit illa templi Salomonici, quod a Chaldaeis in cineres et favillas redactum est; sed stabilis, constantis et aeternae veritatis. Hinc quod ait hic Apostolus: « Ecclesia est columna et firmamentum, » idem est, ac si dixisset: Ecclesia est Jachin et Booz. Columna enim, quae graece dicitur « xaxi », idem est quod Jachin, id est, columna erecta et directa; firmamentum vero « dem » est quod Booz, id est fortitudo, q. d. Apostolus: Ecclesia est rectitudo veritatis, quam adumbravit Jachin; est etiam fortitudo et firmamentum veritatis, quod adumbravit Booz: ita ut ne vel minimum a recta veritatis linea deflectere, vel a constanti veritatis professione divelli ulla ratione, aut vi, unquam possit.

Unde S. Hieronymus, Angelomus, Beda et Eucherius in III Reg. vii, partim allegorice, partim

Alia Pentecostae ad domum columnam templi, Booz et Jachin.

Jachin et Booz quid significaverint significaverint?

non posse errare in fide. Regis domus Galvini.

Refertur quatuordecim.

Quid a legibus?

tropologicae: Columnae haec duae, inquit, sunt Apostoli et sancti Doctores Ecclesiae, quia contemplatione ad superna erecti fortes sunt tam fide, quam opere. Dux sunt, quia Judaeos et Gentes fulciant; sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est in Ecclesiam inducant. Rursus, una est a dextris, altera a sinistris, ut demonstrent per prospera et adversa nobis tendendum esse in caelum, quod est verum Dei templum, utque prosperis non elevemur, adversis non dejectamur; sed templum ipsum, id est caelum, quo per ea tendimus, ante mentis oculos perpetuo ponamus, id eoque constanter pergamus.

Hinc patet primo, Ecclesiam esse visibilem et visibiliter nos docere ac confirmare in veritate, per suos scilicet pastores, Episcopos et maxime per suum caput, quod est Romanus Pontifex Petri successor, qui dictum et promissum est a Christo, Matth. xvi, 18: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. »

Patet secundo, Ecclesiam errare non posse in fide et veritate. Negat id Calvinus, ac respondet Ecclesiam dici columnam et firmamentum veritatis, quia conservat verbum Dei scriptum, quod errare non potest; et, ut habet Commentarius hic errare non potest; quia, inquit, qui in Ecclesia sunt, verbum Dei, quod est ipsa veritas, tuerentur et defendunt. Sed contra, quia sic Ecclesia esset theca veritatis, non columna. Secundo, sic non tantum omnes Martyres, doctores et fideles, sed etiam omnes bibliopolarum officinae dicendae essent columnae veritatis, quod est absurdum et ineptum. Tertio, sic indei, hostes Christi, dicendi essent columnae veritatis, quia conservant vetus Testamentum. Quarto, columna non in alio, sed per se solida est et firma, aliaque firmat et roborat: ergo Ecclesia quasi columna veritatis per se in veritate firma est et solida, ut possit alios in ea confirmare. Ita docent omnes Patres, qui ex hoc loco docent ab Ecclesia in dubiis fidei petendam esse certam et stabilem resolutionem. Audi inter alios Irenaeum, lib. III, cap. iv: « Tante, inquit, ostensiones quae veritatem, quam faceret apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorio dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis, uti omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitae: haec enim est vite introitus. Omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quae vero sunt Ecclesiae cum magna diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. » Deinde ab Ecclesia et Ecclesiae traditione dubiorum et quaeestionum in fide subhorientium resolutionem petendam esse docet, cum ait: « Quid enim etsi de aliqua modica questione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, et ab eis de praesenti questione sumere, quod certum et liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem

Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiant multe gentes barbarorum, eorum qui in Christo credunt, sine characterem, vel atrimento, scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, veterem traditionem diligentem custodientes. » Similia habet cap. iii, ubi inter omnes Ecclesias maxime sequentem ait Ecclesiam Romanam, a Petro et Paulo fundatam.

Audi Hieronymum Contra Luciferianum: « Poteram, inquit, omnes propositionum rivulos uno Ecclesiae sole siccare. » Et iterum: « Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanentem, quae ab Apostolis fundata usque in hunc diem durat, » etc. Audi Ambrosium, epist. 82: « Utrumque, ait, ad Moysen a Domino dictum est: Ubi stas, terra sancta est. Et: Tu hinc stas mecum, hoc est, mecum stas, si stas in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fecunda sanctitatis, et optima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui: ibi ego tecum sum. Ubi est Ecclesia, ibi firmissima statio tuae mentis est; ibi fundamentum animi tui, ubi tibi de rubo apparui. » Audi denique Augustinum, lib. I Contra epistolam fundamentum, cap. v: « Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus: credite Evangelio, cur non obtemperem dicentibus mihi? Noli credere Manicheo (1)? »

16. ET MANIFESTE MAGNUM EST PIETATIS SACRAMENTUM, QUOD MANIFESTATUM EST IN CARNE. — q. d. Sicut olim templum Iudeorum, quod erat domus Dei, continebat arcana mysteria, scilicet arcam, Cherubim, propitiatorium: ita Ecclesia Christi, quae est domus Dei, continet, servat, docet et explicat verissime magnum pietatis Dei sacramentum, scilicet incarnationem Verbi et dispensationem omnem carnis ad eum assumptam. In hac enim re praecipue consistit religio Christiana et Ecclesiae doctrina, ac veritas. Nam, ut ait Fulgentius, lib. I ad Trasimundum: « Certum est pene omnes haeretice pravitatis errores insurrexissent, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, ut sicut est non credit, aut omnino non credunt. » Et patet primis quadringentis annis, omnes Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Apollinaris, Valentinis, Manicheorum et aliorum haereses versatas fuisse vel circa divinitatem, vel circa humanitatem Verbi incarnati, q. d. Apostolus:

(1) Hodierni multi rationalistae punctum ponunt post Dei uniti, et autem columna et firmamentum veritatis jungunt cum sequentibus; sed perperam, tum quia codices antiqui omnes, nec non versiones Patrumque, Vulgati interpretis interpunctionem sequuntur; tum quia, ea interpunctione admissa, luculentior fluit sermo, vescesque columna, fundamentum, optime cum precedentibus domo Dei, ecclesia conuocantur. Et synecdochum magnum hoc titulo, columna scilicet et fundamento veritatis, passim honestari ait Lightfootus.

55te, o Timothee, ut caute et reverenter in Ecclesia converseris, utque hoc veritatis et pietatis sacramentum vere piissimum rite doceas, eoque digne vivas. Tibi enim credita est tanti custodia sacramenti, inquit Chrysostomus.

Nota primo: Pro manifeste, græce *ἐπισημαίνω*, id est confesse; et, ut Ambrosius ait, *citra controversiam*. Declaratur; et, ut Erasmus vertit, *citra controversiam*.

Nota secundo: «Magnum hoc pietatis sacramentum» est Verbi incarnatio, natiuitas, passio, crux, resurrectio, ascensio, Gentium per ipsum conversio, justificatio et salus; vel aptius est ipsum Verbum incarnatum, sive Deus-homo, nascens, patiens, crucifixus, resurgens, ascendens, justificator et salvator omnium hominum. Unde pro eo quod nos habemus, «quod manifestatum est in carne,» Græca habent, *Θεὸς ἰσαριθμὸς τῷ ἀρχαί*, id est, Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, angelis apparuit, prædicatus est Gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Ita legunt Syrus, Chrysostomus, Theophylactus et Cyrillus ad *Reginas*. «Ipsa, inquit S. Dionysius, cap. II *De Divin. Nomin.* Jesu in carne apparitio et ineffabilis est sermone omni, et omni ignota intelligentia, ipsi quoque angelorum primati non cognita,» scilicet plene et perfecte quoad omnia.

Quare minus apte nonnulli cum Erasmo hæc explicant de lege Christi et prædicatione Evangelii; adeo ut etiam Boza miretur Erasmus tam studiosè omnes Scripturæ de Christi divinitate locos enervare aut detorquere: quamquam lex Christi et prædicatio Evangelii uti consecuta sunt ex Verbi incarnatione, ita ex ea hic consequenter intelliguntur.

Adverte tertio: «Sacramentum,» vel, ut græce est, mysterium, non significat hic signum rei sacræ, sed ipsam rem sacram et arcanam, scilicet Verbum incarnatum. Addit Magallianus, in fine hujus capituli, per «magnum hoc pietatis sacramentum» accipi posse Eucharistiam. Sed hic sensus accommodatissimus tantum est, non autem ex mente Apostoli. Idem enim est Verbum incarnatum in altari, quod olim natum in Bethlehém manifestatum fuit in carne; ac proinde ea quæ huic, eadem et illi accommodari possunt.

PIETATIS. — Græce *εὐσεβείας*, quod Syrus vertit, *justitias*; quia, ut sequitur, hoc arcanum, sive sacramentum, justificatum fuit in spiritu, et per illud satisfactum fuit justitiæ Dei, quæ peccatum Adæ punivit et vindicavit in Christo incarnato et crucifixo.

Secundo, Ambrosius: «Pietatis,» inquit, id est veritatis, cujus columna est Ecclesia, quia Deus magnanimitatem, pietatem et clementiam suam, scilicet piissimam gratiam et dona Christi exhibet iis, qui illam vere agnoscunt. Unde et Vatablus vertit, *magnum est mysterium quod pii norunt*.

Tertio et genuine, *εὐσεβείας*, id est pietatis, Dei cultus ac religionis, q. d. Mysterium incarnationis ipsum est, et tale quo maxime colitur Deus, quoque

maxime Deum coluit Christus, et quod inerat nos ad pietatem, Dei cultum ac venerationem: quodque piissime recolendum et venerandum est: hoc enim proprie significat *εὐσεβείας*, id est pietas.

Quarto, potest ex communi hominum sensu sic accipi: «pietatis,» id est misericordie et dignitatis; Hebræum enim *חסד* *chesed*, id est pietas, passim significat misericordiam, tum quia proprium et certum iudicium est misericordia: sic pietas pro clementia et misericordia sumitur *Ecdi. XLIV, 10; Esther XVI, 10*; tum quia misericordia Deo gratissimus est cultus. «Misericordia (Christus ait) volo, non sacrificium.» Et Jacobus, cap. I, vers. 27: «Religio, ait, munda est visitare pupillos et viduas.» Est ergo incarnatio Verbi summe «pietatis,» id est dignationis, mysterium: nam etsi ille ait:

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas, et amor:

hæc tamen in Christo conveniunt, scilicet summa in Christo
majestas divinitatis et summa vilitas humanitatis, *in conve-*
que duo vixit et artissime sociavit amor, scilicet *niam mu-*
ut idem Christus sit Deus-homo, Verbum in- *justa et*
fians, puer sapiens, S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, *amor.*
capite VII, de se recenter baptizato loquens: «Non satiabar, inquit, illis diebus, dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui (o Deus) super salutem generis humani.» Hinc recte infert admirandus B. Prosper, *sententia* 39: «Quid, inquit, futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?»

QUOD MANIFESTATUM EST IN CARNE. — En magnum, quod dixi, pietatis sacramentum, scilicet quod Verbum æternum in se invisibile, in carne apparere viderique dignatum sit. Unde Græca habent *Θεὸς ἰσαριθμὸς τῷ ἀρχαί*, id est, Deus apparuit in carne; olim legerunt *ἰσότης*, vel *ἰσότης*, id est, qui Deus. Nam hunc locum corrupit Macedonius legens *ἰσότης* pro *ἰσότης*, sicque interpretatur: ut esset Deus, apparuit per carnem, q. d. Ut hic homo qui dicitur Jesus, esset et dici posset Deus, hæc de causa Deus descendit et apparuit in carne et corpore Jesu, in eoque quasi in domo habitavit. Sentiebat enim cum Nestorio Christum duas habere tam personas quam naturas, unamque alteri non esse junctam hypostaticè, sed tantum per assistentiam vel inhabitationem, qua de causa ab Anastasio Imperatore episcopatu Constantinopolitano pulsus est, ut refert Liberatus in Breviario, cap. XIX, tom. III Conciliorum. Verum hanc calumniam falso in Macedonium Patriarcham Catholicum concinnatam esse ab Anastasio Imperatore Eutychemo, ut eum sub heresi resistentem episcopatu abdicaret, eo prætextu quod Nestorianus esset, qui Eutychemi resistere, demonstrat Baronius anno Christi 540, in fine.

JUSTIFICATUM EST IN SPIRITU. — Primo, sic aliqui explicant, ne quis putet Christum cum carne carnis vitia assumpsisse, dico quod Christus per

opera sancti Spiritus, et per hoc quod Spiritus Sanctus in eum cum baptizaretur, descendit in specie columbe, declaratus et agnitus sit esse summe justus, adeoque ipsa justitia.

Secundo, Cyrillus, ad *Reginas*, et Anselmus explicant sic, q. d. Christus a Spiritu Sancto factus est justus, adeo ut nunquam peccaverit, sed alios a peccatis justificavit; sic fere et Vatablus: Declaratus est, inquit, Christus per Spiritum Sanctum esse verus justificator.

Tertio, Theophylactus hoc modo interpretatur, q. d. Christus, abrogata carnali et umbratica legis justitia, solidam et veram justitiam, quæ in spiritu consistit, induxit.

Quarto, alii ex Syro putant Apostolum hic dicere, quod per Verbum incarnatum satisfactum sit justitiæ et justæ vindictæ Dei.

Quinto, Brixianus hoc modo intelligit, q. d. Christus, qui in carne hominibus apparuerat, non hominum, sed Spiritus Sancti oculis justificatus est justus.

Verum sexto et ultimo, me genus hujus loci est sensus, q. d. Apostolus: Gentes ridet Verbum incarnatum, et in carne manifestatum, sive Deum hominem factum, quasi stultum; Judei habent pro scandalo: sed Spiritus Sanctus per rationes convenientissimas, per miracula, per tot charismata, per efficacem prædicationem et sanctitatem, zelum, sapientiam aliasque dotes cælestes Apostolorum declaravit et comprobavit hoc Dei de Verbi incarnatione consilium esse justum, sanctum, sapiens Deoque dignum. In hoc enim incarnationis opere relectet mira Dei justitia, sapientia, bonitas et potentia, ut pulchre declarat S. Thomas, III *part., Quæst.* 1, art. 1 et 2, ita ut Centurio et alii videntes Christi etiam patientis in cruce miracula, patientiam, gratiam, etc., exclamarent: «Vere Filius Dei erat hic.» Ita Chrysostomus, Ambrosius et Sedulius. Sic «eloquia Dei» dicuntur «justificata,» id est, declarata esse justa et sancta. Sic *Matth. XI, 19*, sapientia dicitur «justificata a filiis suis,» id est, justa declarata, et absoluta ab omni calumnia hominum mundanorum et sapientum hujus sæculi. Huc refertur et illa Theophylacti expositio: justificatum, inquit, est hoc mysterium in spiritu, quia Deus fecit omnia in hoc mysterio, quæ requirebantur ad hominum salutem. Itaque si qui pereunt, sua culpa pereunt, quia Christo credere et obedire nolunt: tibi ergo suam perditionem impudent, Deum au-

tem justificent. Eodem sensu *Psal. I*, dicitur, «Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.»

APPARUIT ANGELIS. — Græce *ἀποφάνη*, visum, vel, ut Vatablus vertit, *visus est angelis*: visum est, supple sacramentum; visus est, supple Christus, qui est hoc sacramentum, id est res hæc sacra et arcaea. Omnia enim hæc referri possunt ad Græcum *θεός*, id est, ad Deum in carne manifestatum, q. d. Visus est ab angelis in presepio Dens infans, cum cecinerunt: «Gloria in excelsis Deo;» visus etiam est ab eisdem in deserto cum bestiis agens, jejuniis, orans, prædicans, fatigans se, moriens, resurgens quoque, et ascendens supra omnes coelos et angelos, cum admirantis angeli dixerunt, *Isaia LXIII, 1*: «Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?» Hinc et angelis resurrectionem Christi nuntiaverunt, quia per Christum nobis reconciliati majorem salutis nostræ curam gerere coeperunt. Ita Augustinus, *Enchir.*, cap. LXI et LXII.

Mystice, S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* cap. IV, per angelos accipit prædicatores, per quos, ut sequitur, Christus prædicatus est G. A. J. b. b.

PREDICATUM EST GENTIBUS. — Mira fuit Dei bonitas, quod non solis Judæis, quibus promissus erat Messias, sed omnibus Gentibus quantumvis imparis, barbaris, idololatriis et secleratis, Christus Christique justitia prædicata fuit.

CREDITUM EST IN MUNDO. — Non solum, inquit Theodoretus, prædicatus est Christus, sed et creditus, et ut Deus ab iis qui crediderunt, adoratur. Mirum fuit, totum mundum credere in Christum hominem crucifixum, ab eoque gratiam et salutem sperare; magnum fuit hoc potestatis et veritatis ejus argumentum. Vide dicta I *Cor. I*, vers. 18 et 24.

ASSUMPTUM EST IN GLORIA. — Cum scilicet Christus, sive Deus-homo gloriose cum angelis et Sanctis omnibus tam in corpore, quam in anima triumphans ascendit in cælum. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus et Theodoretus, qui putat hoc addi quasi causam, cur creditum sit ei in mundo, quia scilicet in cælis a dextris Dei sedet, indeque quasi doctor efficax et omnipotens veritatem mundo persuadet, ut omnes credant in eum. Adde, cum Hesselio, posse sic explicari: Christus assumptus, id est receptus, est a mundo tanquam in gloria Patris existens, tanquam verus Deus, cui omnis debetur gloria: quem proinde totus mundus glorificat.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit instare hæreses, quæ damnabant nuptias, et certos cibos quasi in se malos, cum omnis creatura Dei in se bona sit.

Secundo, vers. 8, corporali exercitationi præfert exercitium pietatis.

Tertio, vers. 12, monet Episcopum, ut sit exemplar sanctitatis, ut gratiam sibi in ordinatione datam easusculet, ut intendat sibi et doctrinæ.

1. Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, 2. in hypericris loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, 3. prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. 4. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod eum gratiarum actione percipitur: 5. sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem. 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. 7. Ineptas autem, et aulias fabulas devita: exerce autem teipsam ad pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futura. 9. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. 10. In hoc enim laboramus, et maledicimus; quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fideium. 11. Præcipe hæc, et doce. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinæ. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 15. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 16. Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

1. SPIRITUS AUTEM MANIFESTE DICIT, QUIA IN NOVISSIMIS TEMPORIBUS DISCEDENT QUIDAM A FIDE. — Mōuit Timotheum Episcopum in fine cap. præced., ut sincere et recte conversetur et prædicet in Ecclesia, quæ est basis veritatis. Causam hic subdit Apostolus, quia scilicet exurgunt heretici veritatis et Ecclesie hostes, et multos seducunt, q. d. Vide, o Episcopo, ut contra eos vigiles et exorbes (1).

Nola: « Spiritus », scilicet Sanctus, per me et ceteros Prophetas hoc prædicit « manifeste », græce *ἰσχυρῶς*, id est precise, certo, prescriptis et expressis verbis: hoc enim vocantur *ἰσχυρῶς*; « quia (quod) in novissimis; » græce non est *ἐν ταῖς ἑσχάταις*, sed *ἐν ταῖς ἑσχάταις*, id est posterioribus, vel sequentibus (hoc enim significat Hebræum *אחרית* *acharit*, quo nomine vocant Prophete tempus Messie, quod noster interpretes veritè novissimum); « temporibus discedent, » græce *ἀποστρέψονται*, id est deficient, descendent, apostatabunt a fide.

(1) « Dicit, » scil. per me, Paulum, aliosque Prophetas.

ATTENDENTES SPIRITIBUS ERRORIS (legit Noster *πλάνας*, jam legunt *πλάνας*, id est fallentibus, seductoibus et in errorem ducentibus; sed eodem redit sensus), ET DOCTRINIS DÆMONIORUM. — Unde recte hic Chrysostomus, *hom. 12*, asserit omnem hæresim et hæreticorum dogmata esse ex diabolo: cujus rei auritus est testis Cassianus, *Collatione 7, xxxii*: « Audivimus, inquit, apertissime confitentem se inspirasse hæresim Arii et Eunomii. »

Et frenæus, lib. I, cap. ix, et lib. II, cap. lviij, tradit Simonem Magum, et Marcum, aliosque hæresiarchas habuisse demones pædros et familiares: sicut et contrario Ecclesia pædrum, quasi assessorem et consultorem, habet Spiritum Sanctum.

Cum multi visitarent Fulbertum, Episcopum Carnotensem, ille inter alios conspicuus Berengarium, nisi quo valuit, expellendum indicabat, protestatus immanem demone prope ipsum consistere, multosque ad eum sequendum blan-

Omnis hæresis est ex diabolo, ait Chrysostomus et Cassianus

dente manu, et illic anhelitu corrumpere, ut refert Wilhelmus Malmesburiensis, *De Gestis Anglor.*, lib. III, et Baronius, ann. Domini 1028. Maximilianus I Imperator in comitiis Augustæ Vindelicorum, anno Domini 1518, publice prædicens, videns Lutherum, dixit baroni cuidam pincernæ suo: « Video cæcæ dæmonem forma corporea humanis istius monachi incubantem, et te quidem superstitè, me vero defuncto, iste monachus turbas, calamitates et miseras gravissimas in imperio suscitabit. »

Quin et hæresiarchæ ipsi idipsum confitentur. Lutherus, lib. *De Missa angulari*, de seipso testatur (ejus enim hæc verba sunt) diabolum et se inter se metuo familiariter nosse, et plus uno salis modio simul comedisse; illumque dulci alloquio se frequenter convenisse, et nocte excitasse, atque stimulasse ut contra Missam scriberet, et ad eam rem argumenta suppeditasse.

Zuingelius, lib. *De Supplemento Eucharistiæ*, narrat anxie cogitanti sibi, quomodo verba institutionis Sacramenti corporis Christi in alienum sensum detorqueret, in tempesta 13 aprilis nocte spiritum monitorum adhasse; et abusive an ater fuerit ambigit.

Et Canob. dicitur.

Erasmus Albertus, Basileensis Ecclesiastes, eademonem Carolostadio concionanti, procerioris stature hominis specie apparuisse scribit, triduo antequam moreretur.

Et Cal. dicitur.

Calvinus epistola ad Bucerum monentem, ut conviciis et maledictis abstineret, respondit, non sui ingenii esse morbum, sed sui genii, puta diaboli pædri: nec enim bonus genius et angelus maledicentiæ potest esse incensor et suggestor. Plura exempla hereticorum, qui magnam cum dæmone habuerunt communionem, recenset noster Petrus Thyreus, disp. *De Dæmoniis*, part. II, cap. xxi.

Apostolus tamen proprie alludit ad hæresim Manichæi, quæ proprie fuit doctrina dæmoniorum, quia dæmonem fecit factorem visibilibum, Deum vero invisibilibum; imo S. Chrysostomus, *secundo*, per dæmonia accipit homines, qui duces sunt errorum et scelerum. Sic Judas a Christo, *Joan. vi, 71*, vocatur « diabolus » per emphasim, eb magnitudinem malitiæ: « Ex vobis, inquit, unus diabolus est. » Nam hominibus magis proprie quam diabolo conveniunt ea quæ sequuntur, scilicet « loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam, » etc.

Tertio, Vatablus *ἑρμηνεύων* accipit non substantivè, ut significet diabolos, sed adjectivè, ut significet divinos; heretici enim fingunt se esse divinos, et prophetas a Deo missos. Sed primus sensus simplicissimus est et maxime proprius.

2. IN HYPERICRISI LOQUENTIUM MENDACIUM. — q. d. hæc dæmonia fallacia per hosce homines apostatas, vel potius hic apostate a dæmone afflati loquentur mendacia, et decubunt errores « in hypericrisi, » id est, in simulatione, et, ut Ambro-

sius, in fictione, quia simulabant per verba blandiloqua, per citationem Scripturarum, per simulationem vitæ puræ et sanctæ, se veritatem loqui et docere, non mendacium. Sic Manichæi et Encratitæ, quos proprie hic taxat Apostolus, ut mox dicam, cum domi et secreto viverent turpissime et libidinosissime, foris tamen et exterius simulabant se caste et sancte vivere, adeoque damnabant nuptias, etiam legitimas, ut docet Epiphanius et Augustinus.

CAUTERIATAM HABENTIUM CONSCIENTIAM. — Videntur hi omnes genitivi ferri ad « dæmoniorum, » quasi dæmonia cauteriatam habeant conscientiam, idque verum est. Sed melius referes hos genitivos non ad dæmoniorum, sed ad nomen quiddam, quasi illius distributivos, q. d. Discedat a fide quidam hominum, puta apostatarum, loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam, etc.; hoc enim proprie ad homines pertinet. Unde commodius et clarius dixisset in nominativo: « Quidam loquentes mendacium, et cauteriatam habentes conscientiam; » sed per hebraismum maluit dicere in genitivo, quia præcessit genitivus dæmoniorum, etiamsi ad eum proprie non pertineat: sic enim Hebræi concordant nomen vel verbum subinde cum propinquiore nomine, non autem cum eo quod proprie respicit, et cum quo in Latina et Græca syntaxi concordare debet. Sic *Job xv, 20*, *וְכַסְפִּי כִּי־נִכְרַם* *mispar sephatum nispenu*, id est, « numerus annorum reconditis sunt, » id est, reconditus est. *Eccles. x, 1*, *זְבֻבֵי מוֹת זַבְבֵי מוֹת* *zabub mevet tabib, id est, « muscæ mortis perdit, » id est perdit, « suavitatem unguenti. »*

Idem hic fit, præsertim quia et homines heretici sunt dæmoniaci, et quasi afflati dæmone, ut videantur esse dæmonia, ut ait Chrysostomus. Heretici ergo cauteriatam habent conscientiam, id est, ut Beza vertit, cauterio amputatam conscientiam. Verum Græcum *καυτηριάζω* significat cauterium inuro, non autem per cauterium amputo. Rursus cauterium non amputat membrum cui inurit, sed perforat. Conscientia ergo cauteriata est, ut Syrus vertit, notata et inusta indelebili cauterio « amia, scilicet ob libidines aliaque infamia scelera. Alludit ad stigmata, quæ maleficis ferro candenti inurunt, quæ Calvinus ob sodomiam Novioduni in Picardia inustum fuisse non tantum ejus familiaris Hieronymus Bolesens, doctor medicus, in Calvini *Vita*, sed et nulli alii viri gravissimi asseverant, q. d. Paulus: Hi heretici non tam corpus, quam animam habent stigmatum ob vitæ dedecora. Ita Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Narrat frenæus, lib. I, cap. xxiv, et Epiphanius, de Gnosticis et Carpoctarion, quod aversarentur procreationem liberorum, suosque discipulos notarent cauterio in superiore dextre auris parte. Forte ad eos hic respexit Paulus, q. d. Hi sicuti habent aurem cauterio notatam, ita et conscientiam.

Heretici habent cauteriatam conscientiam.

Calvinus stigmatizatus.